



34 55
REGRESSVM SEMINIS
AD SANGVINEM

INDVLTV
GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS
PRO
GRADV DOCTORIS
SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS
RITE CAPESSENDIS


DIE XIV. AVGVST. MDCCL.

H. L. Q. C.

DEFENDET

CHRISTIANVS FRIDERICVS AHLEMANN.

BEROLINAS.



FRANCOFVRTI AD VIADRVN,
TYPIS IOANNIS CHRISTIANI WINTERI,
ACADEM. REG. TYPOGR.

REGRESSUM
AD
GRATIA MEDICINAE
CHRISTIANUS FRIDERICUS SACHSIA



VIRO
ILLVSTRI ET EXPERIENTISSIMO
IOANNI GEORGIO LESSERO

DOCTORI MEDICO

AVGVSTISSIMO PRVSSIAE REGI A CONSI-
LIIS AVLAE AC VALETVDINIS TVENDAE, REGIAE
SEDIS BEROLINENSIS, VT ET CIRCVLI BARNI-
MENSIS PHYSICO, COLLEGII MEDICORVM

SVPREMI MEMBRO.

CAET.

VIRO
ILLVSTRI ET EXPERIENTISSIMO
GEORGIO ERNESTO
STAHLIO

DOCTORI MEDICO

AVGVSTISSIMO PRVSSIAE REGI A CON-
SILIIS AVLAE

CAET.

A 2


STVDIO.

STVDIORVM ET FORTVNARVM SVARVM
AMPLIFICATORIBVS
VITAM, IN EXEMPLVM SANITATIS ET ARTIS
HONOREM, LONGAM FELICISSIMAMQVE
PRECATVS,
DISSERTATIONEM HANC IN-
AVGVRALEM
OMNIS OFFICII, GRATI ANIMI, DEVOTAE-
QVE PIETATIS TESTEM
OFFERT
AC SE SVAQVE DE MELIORI COMMENDAT
A. V. C. T. O. R.

DISSER-



DISSERTATIO MEDICA
INAUGVRALIS
DE
REGRESSV SEMINIS AD
SANGVINEM.




*ogitanti mihi de inauguralis dissertationis ar-
gumento, quo, nec adeo trito, ingenii qualis-
cunque mei vires experirer, meque de rebus ad
corpus humanum, sapientissime structum, per-
tinentibus, cogitare posse, aequis declararem
censoribus; prae reliquis se mihi commenda-
uit illa de regressu seminis ad sanguinem theoria. Mouit me ar-
gumenti dignitas, ut ad ipsius me vindicationem accingerem, prae-
sertim, quum a paucis harum rerum scriptoribus istud accura-
tius*

tius paullo pertrahatur scirem. Non dicam, fuisse plurimos, qui seminis hanc resorptionem plane negarunt, et hac freti opinione, nescio quae mala, a semine diutius retento oriunda, infaus-
to finxerunt omine. Alii, miscelam seminis cum sanguine sub-
olentes, generosissimum hunc liquorem, noxiae fermentationis,
viti loqui amant, hinc etiam multorum malorum causam esse, pu-
tarunt. Quae quidem praesudicia, et virtuti et sanitati generis
humani infesta dixeris. At enim vero, etiam strenuis gloriatur
veritatis defensoribus, usque viris, penes quos et jus est, et norma
loquendi. Ex quibus saltem BOERHAVIUM et. HOFFMAN-
NYM, immortales viros, nominasse satis est. Quorum vestigia
secutus, seminis humani, nobilissimi corporis nostri liquoris, ad
massam sanguinis regressum, dum demonstrare animus est, blan-
da veritate duce, et castitate comite, quae medicum, de his naturae
arcanis cogitantem, potissimum ornat, eum ingreditor ordinem,
quo primo ex anatomicis ea delibabo principia, quae scopo meo
inseruiant, acturus de seminis ortu ejusque natura: dein usum
liquoris genitalis, non quidem primarium illum, qui generatione,
quae generis nostri perennitatem conservari voluit OPTIMVS MA-
XIMVS, absolvitur, sed istum, qui ex regressu ejusdem in ipsum
illum sanguinem, ex quo fuerat separatus, redundare potest, sup-
peditata prius dicti regressus demonstratione, declarabo. Tan-
dem usum hujus doctrinae, quem variis salutaris scientiae verita-
tibus apprime illustrandis largitur, brevissimis indicare liceat.

Scopo meo hunc ordinem putavi convenientissimum: Quare
sequens inde prodeat tractatio.





§. I.

Liquorem albicantem, viscidiusculum, peculiari odore, quodammodo nauseoso, praeditum, qui a viris, in actu venereo, per vrethram excernitur, semen vocari masculinum, omnes norunt. Et hoc sciunt, ad sobolis procreationem hunc necessario requiri, ut in vterum, sanctam illam generis humani officinam, foecundus et prolificus injiciatur. Homines sanos, et in naturali statu constitutos, adultos, imo animalium brutorum nonnulla, ad hunc actum, quem generationem vocant, quovis anni tempore parata esse, neminem fugit. Vtrum vero usus feminis ad solam generationem redeat, hicque finis creatoris sit, uti primarius, ita et vnicus, an vero commoda longe majora in hominum animaliumque corpora inde redundent, adhuc sub iudice lis est. De his optimam ille eliget sententiam, qui liquoris genitalis naturam, hinc fluida, quae materiam ejusdem suppeditant, organa, quibus secernitur, perficitur, adservatur, reliqua denique ejusdem phaenomena accuratius rimabitur.

§. II.

Seminis officinam, testes esse, dudum demonstrarunt physiologi: de his itaque primo loco dicendum erit. Hi, a testando ita appellati, quod virilitatis testimonium praebeant, in viris foris penduli sunt, numero plerumque bini, hinc graecis didymi audiunt. Magnitudo eorum varia est, in viris tamen plerumque ovo columbino paullo majores reperiuntur: Figurae sunt ovalis, quae tamen et in aliam mutari potest, prouti vasa vicina, vel interna fluidisurgent. Varias, quibus defenduntur, habent tunicas. Primum ipsis circumponitur scrotum s. bursa virilis, quae est cutis, cuticula

cula tecta, longe tamen, quam in reliquo corpore, tenuior, venis frequentioribus intertexta, ordinario omni adipe destituta, ne forte minus laxari, et dein corrugari possit. Cuti, mediante substantia quadam cellulosa, adhaeret tunica musculosa, densa, venis arteriisque plurimis referta. Dartos dicitur, et quemlibet testem seorsim cingit. Tunc sequuntur musculi, quos ab officio cremasteres nuncupant, orti a fibris obliqui minoris abdominis, a tendine obliqui externi, nonnunquam aliis fibris, ab osse pubis descendentibus. Horum fibrae carnea amplectuntur testes, eosque comprimunt, eleuant, hinc actione sua motum fluidi in iis secreti, promouent. Vaginalis oritur tunica a fibris telae spongiosae exterioribus, quae peritonaeo circumponuntur, et vasa illa, ad corpora testis decurrentia, de quibus mox dicetur, comitantur. Intima denique testium tunica dicitur albuginea, quae est valida, alba, et testem proxime ambit, ejusque figurae respondet, aut potius illam efformat. Externa ejus superficies laeuis est, et aqueo humore perfunditur.

* Conf. WINSLOW *Expos. anatom. Tom. IV. pag. 31.* et illustr. A. WAL-
LEBI *Physiolog. pag. 427.*

III.

Testium substantiam quod spectat, primus eandem detexit REGNERVS de GRAAF, accuratissimus anatomicus, et de euoluta partium, generationi inferuentium, vera fabrica egregie meritus. Et accurata subsequenter aevi anatomicorum industria GRAAFII inuenta comprobauit, esse nimirum testium substantiam e tenuissimis, iisque longissimis, constatam vasculis, miro et incomparabili modo conuolutis, quae, si absque ruptione sibi inuicem annecterentur, viginti vlnarum longitudinem facile excederent. Congeriem hanc minutissimorum vasculorum probant sectiones accuratae, praecipuis vero testium macerationes, quibus totus testis in
ad.

admirabiles glomeres resoluitur. Hi vasorum gyri plexus-que labyrinthi procul omni dubio originem ducunt a continuatis vasorum spermaticorum, quae ad testes decurrunt, ramificationibus, quorum nunc describenda erit historia.

- (c) Conf. R. de CRAAF de *Vivorum organ.* p. m. 55. BELLINVS de *motu Bilis* p. 156. inuenit, longitudinem vasorum, totum testis glomus constituentium, aequalem trecentis vlnis Florentinis. Pro vnicō itaque et longissimo habet canale et aestimauit 4800 longitudinibus testis non euoluti: quam sententiam et CHEINIO et ALBINO placuisse obseruat. ill. HALLER *Prælect.* Boerb. Vol. V. P. I. p. 310.

§. IV.

Arteriae spermaticae, si communem inspicias naturae cursum, numero binae, nonnunquam plures, oriuntur plerumque ex trunci arteriae magnae descendentes in *feris*, parte anteriori, pene duorum digitorum transversorum intervallo sub emulgentibus. (a) Si longitudinis habes rationem, recte referuntur ad minimas corporis humani arteriolas. Sunt enim supra fidem exiguae, etiam in viris robustissimis, iisque brutis animalibus, quibus alioquin magna dependet moles partium generationi inferuentium. Coni sunt, quorum basis vix stylum admittit scriptorium. (b) Pauci hinc sanguinis, quem ex aorta recipiunt, capaces. Vehendae igitur materiae, ex qua fecernatur semen, cum destinatae sint, (per Ppia Physiolog.) prouidam adeo miramur naturam, quae ex tantillo sanguinis elaborari voluit liquorem, et perfectissimum, et corpori summe proficuum.

- (a) Conf WINSLOW l. c. p. m. 54. item HALLERI *Observ. ad Prael.* Boerb l. c. p. 266. vbi et vulgarem fabricam, et naturam, ab his legibus nonnunquam deflectentem, obseruationibus confirmatam inuenit.

- (b) BOERH. *Prael.* l. c. p. 274.

B

§. V.

Hae arteriae (IV) membranae renum communi ramos largiuntur, quos adiposas arterias nuncupant: dein oblique descendunt, per lumborum regionem, supra primum femur flexentium musculum *Loas* dictum, supra vreteres, intra cellulofam peritonaei texturam. Qua in via ab his arteriis plures oriuntur, eaeque satis notabiles, arteriolarum ramificationes, quae ad peritonaeum, partesque mesenterii vicinas abeunt. (a) Minime itaque, ne illum quidem omnem sanguinem, quem ex aorta accipiunt, ad secretionis organa transmittunt. In progressu adhuc vretibus furculos imperiunt. Tandem ad processus peritonaei delatae, quibus tanquam vagina continentur, per aperturas aponeuroticas musculorum abdominalis, (annulos ovaes vocant), extra abdomen feruntur.

(a) WINSLOW, l. c. T. III, p. 55. et T. IV, p. 25.

§. VI.

Ex vena renali sinistra, ordinaria lege, provenit vena spermatica sinistra: dextra vero ex parte anteriori dexteriori venae cauae, paulo infra renales venas, oritur. (a) Venae spermaticae arterias comitantur, eandemque cum his fere ferunt directionem, usque dum ad ea loca pervenerint, de quibus mox dicendi locus erit. Ab ortu, usque ad exitum per annulos abdominales, membranae renum adiposae, peritonaeo et mesenterio varias transmittunt ramificationes.

(a) Etiam hanc fabricam, non absque, exceptione esse, post alios, observavit ill. HALLER l. c. p. 277.

§. VII.

Ab arteriis spermaticis multis differunt modis. Magnitudine

tudine enim enormi proportione superant arterias, et quo propiores sunt annulis abdominalibus, eo plures dant ramificationes, infinite diuisas, mirabili artificio reflexas atque circumuolutas, quae, cum arteriis spermaticis conjunctae, turmatim ad testes decurrunt, et illum tandem ante, quam ad testes accedant, ramificationum constituunt fasciculum, quem veteres corpus pampiniforme vocarunt. Hic quidem arcte implicatur ipsis arteriis, ut sanguinem immediate ex arteriis in ipsas venas transire crederes. Verum enim vero ejusmodi vasorum anastomosis, venam inter et arteriam, cum experientiae, tum rationi aduersari, olim probauit R. de GRAAF, (a) contra quem insurgit acriter quidem LEAL LEALIS Italus, (b) et ad experimenta, in uiuis animalibus instituta, prouocat. Vitium vero subreptionis in experiendo commissum, viri docuerunt experientissimi. (c)

(a) De viror. organ. p. m. 34.

(b) In ep. exerc. de parribus semen confic. p. m. 21. et sequ.

(c) WINSLOW Tom. IV. p. 28. et HALLER l. 6. p. 281.

VIII.

Vasa haec spermatica (IV. V. VI.), vaginulae communi membranaceae inclusa, vna cum vase deferente, constituunt funiculum spermaticum, qui, interiori lamella peritonaei testis, posteaquam cavitatem abdominis vtrinque dereliquit, pergit super os pubis per anteriora, et super glenem, pubis ossibus insculptam, defertur in scrotum, et vasis membranulisque suis testem constituit.

IX.

Arteria enim spermatica (V) supra testem duobus plexibus siue fasciculis finditur, quorum princeps ad medium inumque testem venit, et per albugineam incedit, (a) in testis intima venit, et per septula membranacea numerosis-

sima per eum vndique distribuitur. Has arteriolas, manifesto sanguine in cane, in pueris junioribus vero cera plenas, vidit HALLERVS, (b) vt adeo dubium non sit, arteriam spermaticam testis penetrare corpus, ejusque vascula subtilissima suam inde petere originem.

(a) HALLERI *Physiol.* p. 429.

(b) *Prael. Boerhav.* l. c. p. 303.

§. X.

Alter, et minor quidem fasciculus (IX) epididymidis partem superiorem adit. Epididymides testibus transuerum incumbunt, quasi parui testiculi oblongi, et tortuosi, quorum volumen, membrana vndique cinctum, qua testibus etiam annectitur, constituit variis suis flexionibus vas quoddam, ex ipso testis corpore ortum. Vascula enim testis minima, serpentina, (III) septis cellulosis distincta,prehenduntur. In quolibet septo ductus est, quorum viginti, aut plures, rete faciunt, ex quo in summam epididymidis partem ascendunt vascula decem, quae tandem in vnicum hunc ductum, serpentinis flexionibus intricatum, colliguntur.

(a) *Conf. ill.* HALLERI *Physiol.* pag. 431.

XI.

Ductus hic (X) sensim latefcit descendendo, ascendit denuo, spiras suas explicat, et tunc dicitur ductus sive vas deferens. Adscendit vero cylindricus, perforatus, in funiculo vasorum spermaticorum, (VIII) transit per annulum, descendit in pelvim, vesicae inter vreteres adhaerens, peruenit ad illa receptacula, quae vesiculae seminales appellantur. Ex membrana satis tenui constant, per quam vasa varii generis excurrunt. Figura vesicularum refert intestinulum. Longitudinem trium vel quatuor digitorum transuersorum, lati-

latitudinem vero pollicis transuersi obtinent. Cautate vero gaudent variis in locis, nunc dilatata, nunc vero coarctata. Bina habent foraminula: (a) alterum cum deferente vase continuum, alterum in vrectram aperitur.

(a) Conf. HALLERVS l. 6. 432. it. R. de GRAAF l. c. p. m. 93.

XII.

In his vasorum testis (III) et epididymidis (X) subtilissimorum gyris, miro ordine complicatis, et eleganter congestis, fluidum, a sanguine longe diuersum, viderunt obseruatores, aqueum nimirum et cinericeum in testibus, in epididymidibus lacteum et crassum (a); aliis fluedine carere non videtur: (b) quod ergo testium admirabili mechanismo hic fuisse secretum, nemo facile negabit. Cum vero secretio fiat plerumque ex sanguine arterioso, per ductus arteriolarum laterales, isque ad testes aduehatur, ipsumque testis corpus penetret: (IX) tuto concludere liceat

- 1) Fluidum hoc secerni a sanguine arterioso.
- 2) Tubulos testis minimos, quos seminiferos appellant, esse ductus arteriolarum laterales.

Denique et hoc nobis concedent lectores physiologi

- 3) Fluidum secretum in testibus, ad epididymides delatum, in vesiculis seminales per vas deferens exonerari.
- 4) Sanguinem, secretionem peracta superfluum, venarum ope spermaticarum, corpori iterum reddi.
- 5) Fluidum, hic secretum, esse partem feminis, in actu venereo excreti (I), imo, sensu physiologico proprie semen masculinum vocari.

(a) R. de GRAAF l. c. p. m. 81.

(b) Prael. Boerb. l. c. p. 339.

§. XIII.

Dantur etiam nervi, qui testis fabricam ingrediuntur. Alii a nervis lumbaribus proveniunt, ad involucria testis tendentes: alii a plexu renali, atque hi illi sunt, qui, vasa spermatica secuti, testem ipsum adeunt. Neque negandum erit, ex rete nervoso abdominali, vna cum vasis spermaticis delato, (V. VIII.) nervorum fibrillatas, in tunicis testium, disseminari. GLISSONIVS longe plures testibus tribuit nervos. Nervii vero, quod horum est officium, adportant partibus liquidum tenuissimum, in cerebro secretum: hinc patet, factis notabilem liquidi nervei copiam semini, in testibus secreto, (XII. 5.) admisceri. Inde etiam tenerimus testium sensus, quibus laesis, convulsiones et animi deliquia orta, observatores memoriae prodiderunt.

§. XIV.

Colorem semen masculinum partium gelatinofo-lymphaticarum, corpus nostrum nutrientium, refert, quae sanguini etiam arterioso admixtae sunt, ex quo secernitur. (XII. 1.) Ciborum omnium, qui facile in optimum corporis nutrimentum mutantur, adsumptionem sequitur copiosior feminis secretio. (per. Exper.) Nullus itaque dubito, partes gelatinofo-lymphaticas, easque subtilissimas, semini potissimum materiam praebere. Per arterias enim minimas advehuntur, (V) quarum praeterea longum iter est, et in testibus tortuosum, hinc, aucta resistentia, motus tardissimus, attritus ad vasorum parietes, hinc major particularum diuifio. Verum et nervi testis corpori implantantur (XI), quorum fluido, omnium nostri corporis, quae cognoscimus, specificè leuissimo, grauiiores reliquae feminis particulae cinguntur. Ratio inde petenda est, cur iis tantum hominum aetatibus secernatur, in quibus gelatinofo-lymphaticarum par-

ejusdem, impenditur, fluidumque nerueum et copiosius, et majori aſtuitate praeditum eſt. Anno nimirum vegetae juuentutis decimo quarto adparet, niſi forte annos praeuerat vel malicia, vel lautum viuendi genus: et ſi quod datur in ſenibus decrepitis, aqueum eſt, et virtute carens. Semen itaque humanum eſt delibatiffima ſanguinis portio, quae partibus conſtat gelatiſſimo-lymphaticis, motu tardiffimo in vaſis minimis longiffimisque coctis quaſi, et ad maximam ſubtilitatem redactis, fluidique neruei inſigni copia mixtis.

§. XV.

Semen maſculinum ſecernitur ex ſanguine arterioſo: (XII. I.) adeoque eſt pars fluidi, quod motu continuo ad organa ſecretionis vehitur: (per leg. circul. ſanguinis) quae ſi rite conſtituta ſunt, adſunt omnes ſecretionis conditiones. Continuum itaque ſeminis in ſaniffimis ſecretionem quis negabit? Quamuis et hoc concedam, non omni tempore aequali eandem quantitate procedere. Parietes vaſculorum feminiferorum, epididymidum, vaſorum deferentium, et veſicularum ſeminalium, ab aucta ſeminis copia dilatari, neceſſe eſt. Motum hunc excipit ſenſus, cum appetitu venerea tractandi conjunctus, qui eſt ſtimulus venereus, ab ipſa ſeminis materia exaltatus. Hic legitima ejusdem excretionem, et in vterum ſexus amabilis projectionem extinguitur. Quibus hic deſtinatum ſit euolutionibus, et quomodo agat ſemen prolificum, in praefenti inquirere, noſtrum non eſt: ſufficit monuiſſe, hunc uſum ſeminis eſſe primarium.

§. XVI.

Dantur homines, quibus legitima ſanctis matrimonii legibus venus conſeſſa non eſt, qui ſublimioribus adjuri viribus, caſtitati nomen dederunt. Rari quippe boni dantur tamen.

tamen. Nec his contingit semper, adeo esse felices, vt per blanda somni ludibria purgentur.

§. XVII.

Reflectas etiam ad bruta animalia, praeprimis domestica, in quibus feminis itidem generationem esse continuam, eadem suadet ratio. (XV.) Exemplo sint canes catenarii, tauri, equi, reliqua, quae dum in stabulo viuunt, semen diutissime non excernunt. Nec tamen inde laeduntur, nec testes vltra modum turgent. Accedit, quod ne his quidem omnibus vesiculae feminales a natura fuerint concessae, quibus maximis, si cum animalium, quae illis gaudent, humanas comparaueris, natura hominem ornauit, forte, vt rationis diuino illustratus lumine, semper in promptu haberet feminis copiam, quae generationi sufficiat. Reliqua animalia plus temporis generationis actui impendunt, et ad veneris sacra certis inuitantur anni periodis, quibus blandi soles, vernale tempus, prata, laetis et nutrientibus herbis virentia, feminis copiam et augent, et actiuorem reddunt.

§. XVIII.

In his, cum semen continuo secernatur, augeatur, nec stimulus inde enatus, extinguatur, (XV-XVII.) vel in enormem molem extendentur partes, adseruando femini destinatae, a qua rupturae, hinc malorum metus abesse non potest, vel erunt adhuc aliae viae, quibus aliunde deriuetur semen, et quidem in ipso sine dubio corporis incrementum. Si hanc eligas sententiam, mirifice illam cum diuinis humanisque legibus consentire, naturam praeterea corporis feminis, que illam suadere, intelliges. Extensio partium, hinc laesio, ne quidem experientiae respondet. (XVII.) *Stimulum* tamen *continuum* admittere debes, eundemque, negatis aliis viis, ex structura corporis necessarium. Qui talia statuit,
mihi

mibi quidem in sapientissimum pariter ac benignissimum machinae nostrae conditorem injurius esse videtur.

§. XIX.

☉ Seminis secreti resorbio, et miscela cum massa sanguinea vocatur ejusdem regressus ad sanguinem. J. B. a LANZWEERDE in *naturali molarum uteri historia*, p. m. 99. regressus feminis in sanguinem mentionem facit: verum longe alio sensu, quem adeo nostrum non facimus.

§. XX.

An vero ejusmodi regressus feminis secreti ad sanguinem fieri queat, primo loco inquirendum erit. Dantur vasa quaedam, lymphatica dicta, quae succum, a sanguine et chylo diversum, vehunt, coloris crystalli instar resplendentis, substantiae tenuissimae pellucidae: venas annulari forma ambiunt, hedoraeque instar amplectuntur, per subtilissima filamenta illis annexa. Nodosa sunt, inaequaliter tumentia, propter valvulas, textura tenerrimas, et numerosiores, quam in venis. Oriuntur ab omnibus partibus et visceribus, in quibus lympham separatur, quam, uti venae sanguinem, reuehunt, vel in chyli receptaculum, quod iis sollemne est, quae infra septum nascuntur medium, vel in ductum thoracicum, in quem limpidam suam exonerant lympham, quae supra diaphragma, in thorace, collo, artubusque traxerunt originem. Omnis itaque lympham, ex toto corpore reflua, cordi et sanguinis massae iterum redditur. Motum hunc lymphae, a circumferentia corporis ad centrum, sensus docent, ligaturae, et valvularum situs, quae cor respiciunt.

(d) Conf. TH. BARTHOLINI *Anatome* p. m. 521.

§. XXI.

Vasa haec nobis hic non sunt omittenda, quippe quae admodum copiosa, etiam in testibus, detexit curiosa anatomico.

micorum follertia: nec in alia, quod mireris, corporis parte, majorem facile eorundem copiam deprehenderunt. Sic, teste in aquam tepidam deposito, et per XXIV horas macerato, totum corpus pampiniforme (VII) turgere lymphaticis vasis, auctor est immortalis BOERHAVIUS. (a) THOM. BARTHOLINVS illustria in testibus et manifesta reperiri dicit: (b) conspectiora adhuc esse, in majoribus brutis animalibus, tauro, equo, et ariete. Quinimo, quem saepius laudauimus, GRAAFIO (c) non solum a tunica albuginea, sed ab interna testium substantia provenire videntur. In progressu, pluribus ductibus, sensim in vnum coalescentibus, vasa sanguinea comitari, idem observavit, donec in cavitatem abdominis ingressa, ab iis rursus separantur. In majorum animalium brutorum testibus, quando ligavit vasa lymphatica, duabus diebus post mortem, levi testium agitatione, ea intumescere fecit. Habent et hic suas valuulas, quae, quod illarum est officium, motum retrogradum impediunt, exonerationem vero in communem alveum egregie facilitant.

(a) Prael. acad. l. c. p. 326.

(b) l. c. p. 211.

(c) l. c. p. 47. Vasa haec LEAL LEALIS l. c. Fig. I. p. m. 37. in interna testium pingit substantia. Verum is volebat, lympham misceri cum semine, quod naturae lymphaticorum utique repugnat.

§. XXII.

Communicationem partium, adservando semini dicatarum, cum vniuerso lymphaticorum systemate, alia experimenta docuerunt. Sic FRIDERICVS HOFFMANNVS aerem, per tubulum in vasa deferentia validius insufflavit, non modo vesiculas feminales, sed et vasa omnia in abdomine lymphatica, cum ductu thoracico, simul distendere, et pulchre igitur receptacula ac vasa memorata conspicua eandem refert. Quod experimentum, in tenerioris infantis

corpore confectum esse memoriae prodidit. (a) R V Y -
S C H I V S, felicissimus in percutandis vasorum corporis no-
stri minimorum recessibus, mercurium, per vas deferens im-
missum, vidit parastatas replere, et aliqua in abdomine minu-
tissima vasa: (b) et quamvis illustris H A L L E R V S (c) hisce
experimentis aegre fidem adhibere videatur, non tamen
dissimulat, se vidisse aberrans tale ab epididymide, nondum
medio, vasculum, quod serpentino ductu extra testem abibat.

(a) In *diff. de Morbis ex nimia venere*. Halae 1725. et *Med. System*. Tom.
I. p. 238.

(b) *Carol. Mus.* p. 152.

(c) *Progr. de Vasis seminalibus*. Conf. ejusd. *Physiolog.* p. m. 437.

§. XXIII.

Verum, non sufficit, viam, a semine in corpus patulam,
hactenus esse evictam; (XXI-XXII) quippe quae, cur flui-
dum penetret, ratio sufficiens non est. Ad penetrationem
requiritur etiam fluidi adhaesio, eamque natura legem sequi
videtur, vt specificè leuius facillime grauiori adhaereat.
Semen est fluidum gelatinoso-lymphaticum, idque subti-
lissimum, cuius partes specificè grauiores leuioribus liquidi-
neruei cinctae sunt. (XIV) Quamcunque ergo densitatem,
grauiorem lymphaticorum specificam adsumere pla-
cet, feminis particulae his tamen erunt specificè leuioribus,
ergo iis adhaerebunt. Hinc patet, penetrationem seminis
in vasa lymphatica minime ejusdem naturae repugnare.

(a) Conf. Praeceptoris, omni mea laude maioris, G. E. H A M B E R -
GERI *Elem. Phys. Cap. III.*

§. XXIV.

Si qua datur itaque penetratio seminis in vasa lymphati-
ca, producitur illa adhaesione ejusdem ad parietes specifi-
ce

ce grauiores. Experimenta vero physica ostendunt, eandem adhaesionem, motum fluidi, in vasis capillaribus retardare, nisi causa quaedam impellens maior sit adhaesione. Cordis et arteriarum impetus praecipua omnium nostri corporis motuum causa est: in hoc itaque quaerenda erit ratio, cur semen ulterius progrediatur, posteaquam semel in vasa penetrauit lymphatica. Sanguis enim, a corde et arteriis pressus semper, premit particulas, quae in orificiis vasorum fecernentium haerent, hae proximas, quae iam intrarunt, propellunt. Continuum itaque seminis secretionem (XV), excretionem negata (XVI. XVII.), hinc pressionem ad parietes vasorum, fluidum secretum continentium, quam muscoli cremasteres (II.) adiuuant, ulterioris progressus causam esse arbitror.

§. XXV.

Nunc ad reliqua conuertimur phaenomena, quibus regressum seminis ad sanguinem manifesto demonstrari posse confidimus. Primis vitae nostrae annis corpus nostrum euidenter augetur, omnesque partes, gelatinosae et lymphaticae, ad corporis augendam molem impenduntur. Superatis pubertatis annis, ea celeritate, quam antea, corpus non crescit, et tunc in partibus, semen conficientibus et adferuantibus, quas omnes puer antea possidet, earum vero functiones minime exercet, liquidum istud nobilissimum adparet. (XIV.) Quo quidem tempore insignis et mira in toto corpore euenit mutatio. Pilorum passim subnascitur seges, et reliqua signa virilitatis obseruantur, ad summam aetatem vsque superfutura. Barba prodit, et vox, quae ante pubertatis tempus, a voce puellae vix diuersa fuit, mutatur, fitque grauis, et mascula, adeo vt per duas plenas octauas descendat. Nunc vires, et vitales et physicae, totius corporis majores, circulus sanguinis alacrior, calor auctus, hinc omnes corporis functiones vegetiores, et quaeuis organa
robur

robur majus, majoremque firmitatem nanciscuntur. Quin imo, isto etiam tempore mentis humanae, quod intimum est ejus cum corpore commercium, aeterna lege sancitum, vires magis magisque eoluuntur, et quid quisque valeat ingenio, tunc potissimum declaratur. Animus ad audendum elatior, consilio potentior, et ad obeunda aprior negotia, quae seriam et continuatam requirunt attentionem. In animalium brutorum corporibus eadem obseruare licet, quorum ferocia inualescit, et peculiaris factor, per totam carnem diffusus, percipitur.

§. XXVI.

Quibus natura testes, seminis discernendi organa, negavit, eunuchi dicuntur. Quibus arte exempti sunt, castratos appellant. Dantur etiam homines, quorum testes fracti et contusi sunt, quos thilbias et thilbias nominare solent. In genere omnes illos dicimus semiuiros, qui functiones organorum, quae natura feminis secretioni et excretioni destinavit, exercere nequeunt.

conf. SCHYRICH *spermatologia*. p. n. 374.

§. XXVII.

Semiuiros contraria omnia eueniunt, (XXV.) sic barba nec prodit, si partes, semen conficientes, fuerint deletae, nec manet, si in confirmata aetate laeduntur. Si ante pubertatis annos fuerint priuati, vox manet debilis, clara, sonora. Hinc mollis Italia filii eximit testes, quae ingeniosa hominum est crudelitas, quos aulis principum, qui cantu delectantur, destinare solet. In his actiones corporis segniores, habitus laxior et femininus, obesitas major, animus depressus, et ad negotia, cum decenti quadam alacritate suscipienda, et constanti expedienda virtute, minime compositus. Puer, valde vocalis, gratiam vocis amisit, cum

C 3

testes

testes ipsi anno aetatis XVIII. prodiissent. (a) Militi vis ignis tormentarii amputat vtrumque testem. Conualuit tamen, et nihil ipsi defuit eorum, quae ad viri naturam requiruntur, si a testibus discesseris. Et tamen ipsi vox mutabatur, et barba cadebat. (b) In senibus decrepitis, caluitiem capillos destruere, quotidiana docet experientia. Animalia bruta, quibus testiculi eximuntur, pinguescere, tristiora euadere, caponum voces, a galli gallinacei robore in femininam degenerare naturam, aratoribus notum est. Ceruo castrato cornua quidem perpetua manserunt, sed mollia, neque ramosa, dudum obseruante philosopho: Si hinnulus castratur, cornua nunquam erumpere, si cornutus ceruus, nunquam delabi. (c)

(a) KERKERINGIUS *Observ.* 19.

(b) BOERHAVII *Pract. acad.* 1. c. p. 445.

(c) ARISTOTELIS *Historia animal.* L. IX. c. 50.

§. XXVIII.

Qui vitam viuunt castissimam, semen excernunt viscidiusculum: qui contra voluptatibus diffuentes, veneris frequentius sacris litare solent, semen tenue, et aquosum valde exhibent. In his secretionem inter et excretionem vix vlla intercedit mora. Semen itaque viscidum non fecerunt, sed partibus fluidioribus reforescit tale reddi, concludimus.

§. XXIX.

Quamcunque feminis excretionem excipit virium jaetura. Pleraque animalia post coitum contristantur. Fuerunt, qui vno coitu tantum virium consumi putarunt, quantum, vna sanguinis libraeducta, subtrahitur. Nimiae vero veneris, quae modum seruare nescit, indiuisus comes est insigne virium vniuersi corporis decrementum.

§. XXX.

§. XXX.

Videas, quos rationis lumine spoliavit venus, dux malorum, qui, neglectis leuioribus malis, veneris stimulos coeco impetu sequuntur, naturales etiam, (XV.) pharmacis adsumtis nonnunquam augent. Hos tandem libidinum poenam luere, certa experientiae fide edocemur. Quae motui et sensui praesunt partes, cerebrum et vniuersum nervorum systema, mirifice debilitantur. Memoriam dolent imminutam, haud raro penitus abolitam, ingenii etiam et iudicii acumen labefactatum. Fatuos et stupidos quosdam reddiderunt nimia veneris exercitia. Aurium murmura fiunt et susurri, acies oculorum, in actu venereo olim scintillantium, obfuscat, coecitatem inde subortam, testantur auctores fide dignissimi. Actiones naturales, vitiis dejectis, etiam laeduntur, hinc morbis, ab atonia oriundis, via aperitur. Et quum imbecillitas omnibus morbis pateat: hoc certe in iis obseruatur, qui in veneris castris strenui et infessis sectatores vires profuderunt. Languida horum et morbis adeo obnoxia corpora senectutem vix attingunt. Quolibet anni tempestatum impetu, videas morbis, iisque ab ordinario decursu remotissimis, vexatos. Multiplici enim obseruatione compertum habuit HOFFMANNVS, FRIDERICIANAE olim decus, iuuenes, qui crebrius rebus veneris indulserunt, morbis acutis, febribus, variolis, laborantes, raro et difficillime conualescere. Contravero ceruissimum est, castos rarius egrotare, et facilius curari.

Conf. HOFFMANNI *diff. de morbis ex nimia venere §. XIII.*

§. XXXI.

Illud, quo postea, semper ponitur, quo remoto, semper remouetur effectus, necessario effectus illius causam esse conceditur. Semen itaque secretum causa erit phaeno-

phaenomenorum (XXV. XXVII. XXVIII. XXIX. XXX.) vel quatenus una cum illo excernitur insignis fluidi neruei copia, partibus lymphaticis juncta, vel quatenus reforbetur, vel utroque modo. Laesas corporis actiones (XXX.) a quantitate fluidi neruei, frequenti excretionē, quam sequitur vberior secretio, corpori subtracta, deriuare solent, qui a laboribus diu continuatis, motu nimio, vigiliis, haemorrhagiis, studiis cum profunda, meditatione conjunctis, eadem fere mala proficisci observantur. Quos vero §. XXV. XXVI. XXVII. XXVIII. recensuimus effectus, nec excretionem comitantur, nec aetati tribuendi, reformationem et miscellam cum massa sanguinis indicant, quae dicitur regressus feminis secreti ad sanguinem (XIX.) Fieri hunc posse, nec fabricae corporis, nec feminis naturae repugnat. (XXII.) Semen itaque, in testibus secretum, per vasa lymphatica, quorum initia omnem visus aciem fugiunt, donec majoribus ramis fiant conspicua, sanguini, ex quo fuerat separatum, iterum admiscetur.

§. XXXII.

Semen est fluidum gelatinoso lymphaticum, fluidi neruei maxima copia impregnatum, subtilissimum: (XIV) qui ergo fructus ab ejusmodi fluido, sanguini reddito, expectandi sint, facile patet. Gelatinosae partes, vterius elaboratae et diuisae, vti penetrabunt facillimo modo in corporis incrementum et virile robur, ita fluidi neruei partes, penetrationem hanc promouentes, motum omnium vasorum augebunt. Hinc calor auctus, resolutio decens, sanctoriana perspiratio, secretionēs omnes et excretionēs decenti ordine procedentes, quibus maxima pars sanitatis nititur. In corpore sano mens sana alacrior suis fungitur actionibus.

§. XXXIII.

§. XXXIII.

DEVS est sapientissimus machinae humanae conditor, qui nihil frustra creavit, et media elegit optima et convenientissima, quibus propositus naturae finis impetretur. Finem primum feminis secreti esse sobolis procreationem, fateor (XV.): verum huic fini, medio tamen semper praesente in adultis, non semper inseruit fluidum nobilissimum. Voluptuosam excretionem in seriem finium diuinorum, ne somniantes quidem, collocabunt. Miramur adeo beneficam SAPIENTISSIMI NUMINIS providentiam, quae idem fluidum, quod evolutioni in utero muliebri, quam distincte explicare, hominum acutissimi haecenus ausi non sunt, in corporis salutem massae sanguineae reddi voluit. Seminis regressu ad sanguinem stabilito, non habet, quod imperiosa praejudiciorum potestas, feminis excretionem frequentem, ex naturali corporis structura, necessariam urgeat, quae potius OPTIMI MAXIMI finibus est contraria.

§. XXXIV.

Precandum esse, ut mens sana sit in corpore sano, gentilium etiam sapientissimi suadent. Corporis sanitas, quae est potentia omnes actiones, quae ipsi competunt, decenter exercendi, dependens a naturali partium constitutione, vsu legitimo rerum nonnaturalium egregie conservatur. Excreta et retenta hic potissimum consideranda veniunt. Jam vero semen est fluidum excernendum utique in finem, ut novus homo producat, idem vero, sanguini admixtum, fructus corpori praestat haud contemnendos, unde sanitas perfectior expectari potest. Omni itaque cura circumspiciant mortales, ne humorem, laude dignissimum, profundant temere. Virium et copiae feminis ratio habenda est. Hinc sequitur, semen esse excernendum si- mul praesente venereo, qui copiam feminis indicat, ea quanti-

D

quanti-

quantitate praesentem, qua commode resorberi non potest, eum in finem, ut sobolis fiat procreatio.

§. XXXV.

Castos bonis suis quam diutissime frui, praemiumque virtutis, longam, et ab infirmitatibus alienam, nancisci vitam, docet experientia. A femine resorbto phaenomena, in horum corporibus obuia, commode deducuntur, quippe quo vires corporis et augeri et conseruari possunt. Hinc ubi status praeter naturalis praesens est, cum vires corporis, nondum fractae, maximum ad recuperandam sanitatem sint adminiculum: monendi sunt sani, ne, bona fruentes valerudine, feminis excretionem aduersae praesidia consumant. Qui cum sanitate in gratiam redeunt, reconualescentes dicimus: his venerem vix concedendam esse, putarem. Caueant sibi potius, ne balsamum vilipendant, quem ipsorum corporibus indidit benignissimus creator, omnibus pharmaceuticis praestantiorum. Quae vero experiantur mala (a), qui corpore, morbis correpto, tamen a veneris exercitiis coerceri nequeunt, omnes fatentur medicorum obseruatores.

(a) Euentus lethales recenset HOFFMANNVS loco cit. §. XIX. XX.

§. XXXVI.

Quum ad sanitatem itaque multum faciat, si femerum iterum resorbatur: (XXXI. XXXV.) consequens est, regressum feminis in sanguinem omni modo esse promouendum. Dantur pro dolor! qui naturae hic parendum esse, stolidè existimant: alii per veneris illecebras ad sanitatem ire contendunt, qui, si dicendum, quod fas est, libidini amant praestare obsequium. Stimulum venereum naturalem esse, largior. (XV.) Neque reprehendendi sunt, qui legitimo

legitimo modo illum extinguunt, dummodo sanitatis rationem, et auream in omnibus mediocritatem sibi commendatam habeant, nec stimulorum ipsi sint auctores. Naturalem delicatuli vrgent stimulum, probe gnari, augeri illum, lauto viuendi genere, otis, meditationibus, quae circa iucunda et amabilia versantur, cibus, qui facile in chylum bonum transeunt, et potu sulphureo spirituloso, sine cerere autem et bacho venerem frigere: ignarissimi, quis putaret? contraria his, summa contra stimulos esse remedia. Durius tractanda caro est, ne animo male pareat.

§. XXXVII.

Regressum feminis ad sanguinem impediunt nimia copia ejusdem, visciditas major, hinc fluidi nerui defectus, vasa denique lymphatica obstructa. Quicumque ergo feminis quantitatem minuit, cohaesionem partium ejusdem redit minorem, vascula denique meabilia, regressum feminis ad sanguinem vtique promouebit. Si vitae genus, his finibus aptum, desideras: victum tenuem, motum corporis, labores et exercitia tibi commendabimus.

§. XXXVIII.

Qui sanitatem promittunt mortalibus, excretionem feminis suadentes, egregie saepius falluntur, dum in seriem causarum, quae morbis ansam dant, semen diutius retentum ponunt. Melancholicorum, maniacorum, et ejus generis hominum affectus, si vnquam venere fuerunt curati, dubitandi tamen locus erit, an feminis excretioni, an potius antandami affectibus, desiderato dudum commercio, et voluptatibus, neque tamen nega-
nunc domitis, sanitas tribuenda sit. Neque tamen negamus, regressum feminis ad sanguinem nonnunquam impediri posse: (XXXVII.) hinc cum omnis quies fluidorum corporis nostri oeconomiae inimica obseruetur, semen, nimia quanti-

tate stagnans, morbos procreare posse, cumque sublata causa effectus tollatur, patet, quo sensu feminis moderata excretio morbis mederi queat.

§. XXXIX.

Medico itaque, qui mortalium sanitati conservandae et morborum curae praestit, doctrinae nostrae foecunda supeditabunt principia. Regressus feminis ad naturalem pertinet corporis statum, hunc ergo omni cura cum intendat, praesentem conservabit, naturam aberrantem vero in rectam deducere viam studebit. Commendato viuendi generi accedat vsus diluentium, et aperientium. Nitrosa multum faciunt. Vbi vero vasa lymphatica penitus sunt obstructa, vel viarum laxitas, frequenti feminis excretionem inducunt, nimiusque humorum ad has partes fluxus olim est determinatus, quem statum pollutiones nocturnae frequentiores, gonorrhoeae benignae, et inueteratae indicant, de regressu feminis ad sanguinem plerumque conclamatum est. His moderatam viderem concedere, quis vetat? Diuum gentium apostolum defensorem habemus. Pejus enim est viri, quam nubere. Plurimis tamen eorum, qui morbis, a regressu feminis impedito oriundis, vexantur, ea tantum proderunt, quae vires conservant. Negotium reliquum naturae relinquendum: multi enim morbi, quod praefiscine dixerim, expectatione curantur.



NOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO
DOMINO CANDIDATO

S. P. D.

IO. FRIDERICVS CARTHEVSER,


MED. DOCT. ET PROF. PVBL. ORD.

FACULT. MED. H. T. DECANVS.

Cum jam in eo sit, CLARISSIME CANDIDATE, ut medicorum cathedram conscendas, et, absque consueto praesidio, doctam Dissertationem, quam solus, citra meum aliorumque adjumentum, de *Seminis regressu ad sanguinem* elaborasti, pro obtinendo Doctoris gradu, defendas, adeoque diligentiae, ad praecepta Medicinae discenda, in patria non minus, quam celeberrima Academia Jenensi, laudabiliter collatae, publicam rationem reddas; non potui; quin voto candido, meritissimoque testimonio TE comitarer. Breve quidem, et paucarum duntaxat hebdomadam tempus est, ex quo mihi occasio contigit, animi tui dotes, tuamque scientiam propius intuenti, abunde nihilominus cognovi, TE natum esse ingenium, ad studia medica et philosophica aptissimum, et publice etiam atque ingenue fateri cogor, talem in utroque examine privato Ordini nostro TE praebuisse, ut hic ipse, honores Doctorales TIBI protinus decernere, haud dubitaverit. Gratulor itaque illos, et, cum bona quaevis de futuris laboribus tuis augurari mihi atque sperare liceat, sincera mente opto, ut summus rerum Moderator eosdem semper secundare, et faustissimos in praxi medica successus largiri velit. Vale, et sub diuini Numinis favore et benedictione, perfecta atque constanti mentis corporisque salubritate fruere. Dabam in Academia Viadrina, d. XIII. August. MDCCCL.

D 3

DOC.



DOCTISSIMO AC POLITISSIMO
CHRISTIANO FRIDERICO
AHLEMANNO

SVMOS IN ARTE MEDICA HONORES

CAPESENTI

S. P. D.

CHRISTIANVS OTTO LVDOVICVS HVBNERS

J. V. S.

Quo magis cruciabar animi, me per nouem fere annos, ne minimam TE, *agnatorum suauissime*, videndi habuisse occasionem, eo vberiore ex aduentu TVO cepi voluptatem. Quae quanta sit, ipse facile colligere potes, quem minime latet, quanti TE semper fecerim, quamque longe amori TVO reliqua perpetuo postposuerim. Dici profecto satis vix potest, quam mira animum meum perfuderit suauitate nuntius, qui me spei exoptatissimae TE, *mi Ahlemann*, exosculandi fecit plenissimum, verba autem plane mihi desunt, quibus dulcissimi illi significari possint animi sensus, quos ex usu iucundissimae TVAE consuetudinis, ex quo TE praesentem video, haurire mihi contigit. Sed doleo rerum humanarum varietatem atque inconstantiam. Vix enim ac ne vix quidem vsu amicitiae TVAE frui coepi, dum abitum jam parus, TVIQUE mihi relinquis triste desiderium. Quod vt publice testatum facerem, non potui, quin has ad TE darem literas,

teras, tvaque de singulari et philosophiae et medicinae, quam adsequutus es, scientia, deque amplissimo Doctoris gradu gratularer. En fructus quos exacto labore jucundo percipis maximos! En doctorum frontium praemium, Doctoris pileolum, quem tibi celeberrimus medicorum nostrorum ordo jure meritoque offert, donat, largitur! Gratulor itaque, *Amice exoptatissime*, dulcissimae patriae tva e tvi causa: absit et in posterum, vt tam infelix et bonis tam vacua exemplis sit, vt nullam eminentem virtutem ac sapientiam alar amplius, quae et documento alis et incitamento esse possit enitendi in summa. Gratulor Reipublicae literariae, cui ornandae tv natus videris. Gratulor academiae nostrae, inprimis experientissimo medicorum collegio, quod talem extulit atque illustravit, in quem natura tam liberaliter ac benigne tot inuidendas dotes congescit, qui, quod maximum est, non intelligit tantum, quae ad tuendam hominum fanitatem ac conseruandam verissime faciant, sed luculenta etiam et optima quaeque iam edidit eius rei specimina. Gratulor vniuersae familiae, quod spes, a teneris optime de te concepta, in dies adhuc amplificatur atque augmentatur, dum acriter premis quotidie cursum, qui, si quid laboris et molestiae habet, multum quoque gloriae et nomen tibi, quod praecipue magnus atque excellens animus ambit, promittere potest. Gratulor tibi dulce *meum decus*, quod tandem in locum eum euectus es, quem tva virtute ac sapientia diu ante merueras. Gratulor tandem et mihi, qui jam pridem rarissimas ingenii tvi dotes maxime veneratus sum, et in exemplum mihi proposui assidue. Id certe, *meum delictum*, nactus ingenium es, quod magna quaeque prouocare potest. Accedit contemptor voluptatum et quadam seuera frugalitatis lege subactus animus, vt proculcatis iis rebus, in quibus homines et oblectare genium cum primis et florem aetatis perdere consueverunt, totum te literis iisque studiis traderes, quae quo remota longius a ratione vulgi, hoc propius ad sapientiam admovent atque adducunt: id

id quod effecit, vt TE eo semper affectu profecutus sim, quem omnes norunt, qui me norunt. Nihil mihi vere gratius erit ac iucundius exoptatusue, quam intelligere, eo loco res TVAS semper esse, unde mihi gaudendi, TIBI gratulandi, quam saepissime nascatur occasio. Vale, o meae animidum animae! et in posterum me sic ames velim semper ac completaris, vt consueuisti hactenus, et vbertim testatus literis es: qui TE vicissim amare, colere, venerari non ante desinam, quam ipse esse desiero atque viuere, nisi, quod Poeta ait,
ET FATI TRANSIT LITTORA MAGNVS AMOR.
 Vale iterum! Dab. e. mus. in acad. Viadr.
 d. XIII. Augusti MDCCCL.



00 A 6469 (1)

ULB Halle 3
002 937 28X




TA-70L

R

UDMA







REGRESSVM SEMINIS
AD SANGVINEM

INDVLTV
GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS

PRO
GRADV DOCTORIS
SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS
RITE CAPESSENDIS


DIE XIV. AVGVST. MDCCL.

H. L. Q. C.

DEFENDET

CHRISTIANVS FRIDERICVS AHLEMANN.

BEROLINAS.



FRANCOFVRTI AD VIADRVM,
TYPIS IOANNIS CHRISTIANI WINTERI,
ACADEM. REG. TYPOGR.